

Gen. 8.

thymiamatis, non procedunt aduersa, & calamitosa mundo, sed prospera, & felicia, maxime cum odoratus sit Dominus thymiana nostrarum orationum, in cuius rei similitudinem, de holocausto Noë dicitur Gen. 8. n. 21. Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & ait: nequaquam ultra maledicam terra. Ex tali odore suauitatis manavit diuina clementia in terram.

88.

Tertio, hoc thuribulum, iuxta multos Patres, ac Doctores datos supra quæst. 5. significat corpus Christi, quod in Passione multis plagis, quasi fenestris, vel cancellis, instar thuribuli, apertum est, ex quibus in nos dimanat ejus pietas, misericordia, charitas, ut humana corda igne charitatis accendantur. Sic ait D. Bernardus Senensis. Angelus ignem, ait, misit in terram, id est, in populos, vel in mentem Aquilonis, tremore, vel frigore congelatam. Et confirmatur, quia si dicitur, quod ex tali igne misso in terram, securæ sunt calamitates, & deustationes totius orbis, ut dicunt aduersarii, hæc sequuntur ex septem Angelis tubis canentibus, ut statim videbimus: ad quid ergo tam confusè ejusdem fieret repetitio?

D. Bernard.

Christus charitatem misit in omnium corda.

81. Luc. 11.

Christus ob preces sanctorum, misit ignem charitatis.

190. 3. Reg. 18.

Oratio iusti exauditur à Deo, & impedimenta demouit.

Aldhelmus.

91.

Matth. 26.

re, eos ipsos: quos paulò antea exhortabatur, vigilare, & orate? Num tam brevi intervallo Dominus sibi est contrarius, nam si vigilare, ac orationes necessariae sunt ad inimicas tentationes repellendas, & ut necessariae mandantur; cur repellendas, & ut necessariae dormire, ac requiescere modo mandas Domine, dormire, ac requiescere? ex alto sanè consilio, cum vigilia, ac orationes fieri mandatur, ibi jam consequenter somnus, & quies offertur: qui enim maximè vigilans orationibus incumbit, jam talis dormire, ac quiescere securè poterit; nihil est aduersum, quod timeat, ac quod ei obstitere possit. Elegendanter Hildebert. Turon. Archiep. de Myst. Mist. sic ait:

Primum iussit eos, vigilare, statimque precari, Post dormire, dehinc agnus, & ara iulit.

Expende illud post dormire, consequens erat, ut data opera orationis, jam securè, ac quiescere dormirent, sine ullo hostium metu.

Cum Dominus monita salutis suis discipulis daret, dicebat eis; Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum caelorum. Matth. 18. n. 3. nos tanquam parvulos, vult Dominus, ut caelestia teneamus & ut ad illa spiritus noster dirigatur: de Christo Domino canit Regius Vates: Exultavit ut gigas ad currendam viam. Psal. 18. n. 6. Christus Dominus est veluti gigas, & nos vult esse, ut parvulos? nostra salus in eo consistit, quod Christo proportionemur; si ipse est, ut gigas, quomodo non vult, ut parvulos? inter utrumque enim magna est impropertio: Christus cum veluti gigas, vult nos, ut parvulos, ac ut parvulorum ingenium teneamus, quorum conditio est, ut panem habeant, non ex sudore ac labore, sed ex petitione, ac deprecatione: & qui tanquam parvulus, panem salutis exorat, ac petit; sic crescit, ut fiat gigas, ut caelum teneat, & assequatur! hoc enim non obtrinetur ex viribus, nec magnitudine corporis, sed ex efficacia orationis, sicut & parvuli ex precibus habent panem ad alimentum; Paulus Orosius in Apolog. contra Pelagium: Infans, ait, nihil in se habet, nisi quod diligit blandientem, & quod panem suum, non in sudore suo, sed in precibus sperans, alimoniam vite simplici petitione consequitur, quam fiduciali opere non meretur: qua in comparatione communitus, convertere ad infamiam, ut revertaris ad vitam. Ludebat bonus vir cum Haerico, qui propriis naturæ viribus sperabat, caelum assequi: inde monet eum, ut oculos converteret ad parvulos, qui non labore, ac industria, sed petitione, & lachrymis alimoniam compètant; ut inde documenta habeamus omnes, non ex petitionibus, ac lachrymis, gratiam à Deo comparari, ac caelestia dona acquiri.

Apoc. 8. n. 6. Et septem Angeli, qui habebant septem tubas præparaverunt se, ut tuba canerent.

Num. 7. Et primus Angelus tuba cecinit; & facta est grando, & ignis mista in sanguine, & missum est in terram: & tertia pars terræ combusta est, & tertia pars arborum

rum concremata est, & omne foenum viride combustum est.

VERSIONES.

Lyrus n. 6. Et illi septem Angeli, qui habent septem tubas, fuerunt ii, qui paraverunt se se, ut clangerent.

Arabic. Et assurgentes illi septem Angeli, qui habebant septem buccinas, paraverunt se ad clangendum.

Syrus n. 7. Et ille primus clauit; facta est grando, & ignis, mixta aquis, & profecta sunt in terram, & c. omne gramen viride ustum est.

Arabicus. Cœpitque primus, clauitque buccina; & facta sunt inde grandines, & ignis.

Primasus. Facta est grando, & flamma, commistum est in sanguine, & in terram iacta est, & tertia pars terræ dearsit.

D. Thomas alii. Facta est grando, & ignis in sanguine.

Pagninus. Omnis herba viridis combusta.

EXPOSITIO V.

91.

SEPTEM Angeli, facti silentio in caelo, veluti media hora, pro admiratione divini consilii, & ut discuterentur humanae res, & audirentur orationes sanctorum, designantur à Deo septem Angeli cum septem tubis, hoc est, Prædicatores Evangelici; tunc offert Angelos in thuribulo orationes sanctorum, pro salute Judæorum, ac gentium quæ cum essent exauditæ à Deo, mandat Dominus in mundum designatos Prædicatores Evangelicos; Et septem Angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se, ut tuba canerent; admovendo veluti tubas ad os; per hos septem Angelos intelliguntur universi Prædicatores, seu septem ordines, ac classes Prædicatorum Evangelii usque ad finem mundi, qui prædicarunt, prædicant, & prædicabunt.

94. Alb. Magn. Exod. 19. Levit. 24. Lex vetus timor; lex nova amoris.

cunda; sic ait Albert. Magn. Nota quod quilibet Angelus dicitur, tuba canere; nunquam tamen in veteri Testamento dicitur esse cantus, sed clangor, & hoc, quia vetus Testamentum fuit lex timoris, nova amoris.

Primus Angelus, id est, primus ordo Concinatorum (Epore primitivæ Ecclesiæ, seu Apostolorum; tuba cecinit; Prædicatione insonuit in orbe, & deinde magna contrarietas, ac persecutio exorta est contra fideles, quæ symbolicè explicatur: facta est grando, in parte corda quæ iam frigida Judæorum ac obdurata, veluti grando, ex circumstante calore fidelium sanguis, flamma scilicet Pharisaicæ æmulationis, ac invidia; mista in sanguine, multa crudelitate occisionis; missum est in terram, magna, & dira persecutio.

Et tertia pars terræ combusta est; processit Divina iustitia contra fidelium persecutores. Et tertia pars terræ; pro quo nota quod tota gens Judæorum divisa est in tres partes; una credit in Christum, altera dispersa est per totum orbem, altera combusta, & consumpta est tempore Vespasiani. Et tertia pars arborum concremata est, id est, tertia pars principum, ac magnatum Judæorum in illa devastatione Jerosolymæ concremata est; & omne foenum viride consumptum est; id est, populus Judæicus jam omnino contumptus est, cum sit jam dispersus, & divisus per totum orbem, ut jam non inveniatur populus unus congregatus; de quibus laus in quaestionibus.

QUESTIO X.

Quinam sint hi septem Angeli, qui tuba canunt; & quid significant?

Jam ad hoc caput quæst. i. diximus hos Angelos esse bonos; quid verò significant, est tota controversia? Lyranus, & Aureolus volunt, hos Angelos esse quatuor celebres hæresiarthas, & tres Principes, qui eorum hæreses secuti sunt, & sic fuerunt patroni. Hæresiarthas fuerunt Arius, Macedonius, Eutichius & Pelagius, contra quos tres priores congregata sunt quatuor Concilia generalia, quæ, ut dicebat Gregorius Magnus, honoranda, ut quatuor Evangelia; scilicet Concilium Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense. Hæc opinio non potest subsistere; quia hi Angeli sunt boni, & stant in conspectu Dei; ac proinde non agunt personas iniquorum hominum: deinde quia ex Dei ordinatione datæ sunt eis tubæ, quod Hæresiarthas non cõvenit.

Secundò, Alcazar, has septem plagas denunciatas, seu impositas per hos septem Angelos, vult immittas in Judæos, qui prædicantibus Apostolis, seu viris Apostolicis primitivæ Ecclesiæ, repugnarunt; ac proinde per hanc plagam interpretatur fames Judæorum, tempore Titi: nam segetes, & fruges exuruntur grandine, igne, ac sanguine putrefiunt. Psal. 104. n. 32. & ita has omnes plagas coarctat ad illud tempus primitivæ Ecclesiæ in Judæos. Ad hæc sententia nullo modo est vera: nec omnia, quæ hic dicuntur de septem Angelis, possunt ad illud tempus reduci, nec tanquam in Judæos immittas accommodari, ut patebit ex dicendis.

Tertio, Ribeira, Cornel. Menoch. M. Joannes

Tertia sententia. Ribeira, Cornelius, Menoch, La Haye.

La Haye dicunt, hæc omnia spectare tempora Antichristi, & ei proxima; proindeque accipiunt septem Angelos ad litteram, & illa omnia, quæ hæc de eis dicuntur, eventura volunt: ut sonant secundum litteram, ita ut Deus per has plagas terreat, & puniat impios fidelium persecutores tam extraordinario modo grandine, igne & sanguine, misso de cælo.

100. Impugnatur prædicta sententia.

Hæc sententia quamvis sit probabilis, multa tamen contra eam insurgunt: & Primò, quia calamitates, seu plagæ illo tempore futuræ, jam partim dictæ sunt, & dicuntur in plagis phialarum à c. 1. ad quid hæc toties repetuntur? Secundò, quia non est credibile, Angelos verè tubas canituros, & ad eorum sonitum excitandas grandinum, ignium, & sanguinis tempestates. Tertio, quomodo, quarto Angelo canente, apparet aquila volans per medium cæli, & hæc non potest esse vera aquila de illis, quæ generantur in terris. Quarto, quinto Angelo canente, de fumo putei, c. 9. n. 7. exeunt locustæ, veluti equi parati in prælium, quarum capita coronis aureis exornantur; facies erant, veluti hominum, dentes tanquam leonum, caesaries veluti mulierum, caudæ, ut scorpionum; & sicut loricas ferreas habebant. Quomodo hæc in locustis materialibus considerari possent Quintò, sexto Angelo canente, annuntiatur exercitus equestris ducentorum millionum. c. 9. n. 16. Antichristus parvo tempore regnaturus est: quomodo ergo in mundo tot erunt equi? Unde alentur, & unde nutrientur; cum pauid ante, Primo Angelo tuba canente, omne scenum viride combustum sit: ergo nullo modo possunt intelligi secundum litteram, prout sonant; sed in sensu symbolico, ac allegorico interpretanda sunt, & maxime, quia post sonitum sexti Angeli, ostenditur adhuc longum tempus, usque ad tempora Antichristi: nam ipso sexto Angelo canente, dicitur Joanni: Oportet, te iterum Prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis, c. 10. n. 1. & idèd jubetur, devorare hunc librum, de quo sermo antecessit.

101. Vera sententia. Haymo, Richard, Ansberr, Panon, Alb. Magn, D. Thom, Hugo, Viegas, Gagnaus, Ferrarius.

Quarta, & vera sententia docet, in his septem Angelis intelligi septè diversos Concionatores Catholicæ fidei in Ecclesiæ ordines. Ita docent Haymo, Richard, de S. Victor, Ansberr, Cælius, Pannon, Albert, Magn, D. Thom, Card, Hugo, Viegas, Gagnaus, Ferrarius, & alii Joannes vidit in cælo silentium magnū factum, & septem Angelos, quibus datæ sunt septè tubæ; & tū alius Angelus in thuribulo aureo obtulit orationes sanctorum, quo facto ex divina ordinatione, septem Angeli successive tuba cecinerunt, & variæ plagæ secutæ sunt: Huic schemati imaginario, in re respondit alia symbolice significata, ut solemne est in Prophetis, qui variis symbolis multa significant, ob supremum Dei consilium, factum est silentium in cælo media hora, tanquam in admirationem divini iudicii: & ut orationes sanctorum audirentur, & expendere, quæ multæ factæ sunt pro salute Judæorum, ac gentium, & tanquam exaudita; providit Deus per septem Angelos septem tubas, septem Prædicatorum ordines, qui variis temporibus prædicaverunt & prædicabunt; quibus prædicantibus, facta sunt, & sunt, ac sicut respectivè, quæ in his septem tubarum revelationibus edicuntur; & resistentibus ob suam obdurationem, tales plagæ eveniunt.

Matth.

Primus ergo Angelus, id est, primus ordo Concionatorum; sive primitivæ Ecclesiæ tales Concionatores Evangelici fuerunt Apostoli, ac viri Apostolici tuba prædicationis Evangelicæ canentes; ob malitiam Judæorum, quid sinistra, ac adversum contingit, ut eorum corda frigida, ac obdurata, tanquam grandine, igne livore ardentem, ac sanguinea crudelitate furibundi in Apostolos, ac Prædicatores Evangelicos: tertia pars terræ, scilicet ipsorum Judæorum terrenorum, & tertia pars orbis, eorum principum, ac populis Judæorum sic consumptus est, ac dispersus per orbem, ut dixi in expositione.

Et rectè per Angelos, Prædicatores denotantur qui ab Isai. 53. n. 7. Angeli pacis dicuntur & à Zacharia Propheta. 1. n. 8. Angeli in conspectu Domini: à Beda etiam dicuntur Angeli ascendentes, & descendentes per scalam; cuius rei rationem assignat Rupertus, cap. 9. Apocal. Quia Prædicator habet scientiam, ut Angelus sitque purus, ac denudatus ab omni terreno effectu, tanquam Angelus. Secundò, de his Angelis dicitur, quod præparaverunt se, ut tuba canerent; quia Prædicator debet, se multum præparare, ac disponere ad prædicandum. Haymo: Omnes Prædicatores Ecclesiæ, ait, qui habet scientiam doctorum testamentorum, præparaverunt se, ut tuba, id est, ut Evangelii doctrina insonarent; quod duobus modis fit, ut latè ipse explicat: Primo modo Prædicatores Evangelici se præparant: Cogitant, quem admodum singulis personis verbum aptem, secundum qualitatem ipsorum. Altero modo, ait, præparant se, quia qui Prædicaturi sunt, prius ipsi faciunt, primumque eam in se factis ostendunt.

Tertio hi Angeli tuba cecinerunt. Tuba valde solemnitè tribuitur Prædicatores, nam tuba bellicam est instrumentum, quo fideles adhortantur à Concionatore ad bellum inferendum contra vitia, crimina, ac Demoniū: unde Isai. 58. n. 1. inducitur bellum Demoniū, ac peccatis, in signum belli jubetur tubam accipere: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; & annuntia populo meo scelera eorum: ad quod mysterium adumbrandū, ut notat Origen. homilia 7. in Josue; præcepit Deus Num. 10. fieri duas tubas argenteas ductiles ad invocanda castra; quod etiam ad Concionatorem refert D. Greg. 1. 30. Mor. c. 7. quia Prædicator debet nitere, ac respicere de se duobus præceptis charitatis, D. Thom. in præsentia aliam dat rationem, quia tuba, ea parte, qua ori admoveatur fit idior est, & qua ad homines respicit, latior, & sic Angelicus Doctor: Nota, quod Prædicator debet striditorem partem tubæ ex parte sua ponere, latè ex parte hominum, quia maiorem perfectionem debet in se habere, quam alius stridit. Iudeat.

Quarto, dicitur: Primus Angelus tuba cecinit. Tuba suo clangore terrorem incutit: quomodo ergo dicitur, quod Angelus ea cecinit? Cælius suavis, & gratus auribus est, quomodo ergo potest cum terrore cõpati? In isto Angelo com tuba denotatur optimus Prædicator, ecce cur tuba canere dicitur; quia licet graviter reprehendat, canere tamè, id est, suavis videtur bonis: sed tuba est malis, id est, severissimus, ac terribilis eis apparet Albertus Magnus. Tuba cecinit, ait, ratione tuba terrorem, ratione cantus suavitatis vel amor; Prædicatio Apostolorum visa est ut canis suavis bonis; malis autè ut terror gravis.

101.

101. Prædicator Angelus. Isai. 53. Zachar. 1. Beda, Rupertus.

104.

Haymo.

105. Prædicator antequam annuntiet, se præparat.

105.

Isai. 58.

Origen. Num. 10.

D. Gregor.

D. Thom.

106. Prædicator perfectiorem vitam ducit, quam in prædicat. 106.

106. Prædicator reprehendens suavis est bonis, severus malis.

Albertus.

107. Licet sint multi Prædicatores, eorum una est vox, unus finis.

D. Thom.

108.

Isai. 6.

Pardo.

D. Cyr. Al. Haymo.

D. Hieron. Prædicatores ita adnuntiant, ut sit in eis una vox.

109.

Matth. 22.

Luc. 11.

D. Hieron. D. Greg. D. Pafch. Prædicatores licet multi sunt, veluti unus.

Quintò altè ponderandum, quod de his septem Angelis dicitur, præparaverunt se, ut tuba canerent, & primus Angelus tuba cecinit: & tamen v. 2. dicitur, quod his septem Angelis datæ sunt septem tubæ: si ergo illis datæ sunt septem tubæ, cur non dicitur, quod tubis cecinerunt? Si Angeli sunt plures; & habent plures tubas, cur non dicitur, quod tubis cecinerunt, sed tuba tantum; sicut per Angelos intelliguntur Prædicatores, sic per tubam prædicatio Evangelica: inde merito Angeli, seu Prædicatores dicuntur tuba cecinisse; quia licet plurimi verbi divini præcones, tamen eorum vox una est consona, cum omnium sit una doctrina, ac finis præcipuus: D. Thomas postquam proponit hanc difficultatem, cur nempe Angeli dicuntur tuba canere in singulari, cum eis datæ sint septem tubæ, sic respondet: Quia licet sint diversæ prædicandi officia, & diversa prædicatio, secundum Prædicatorum diversitatem, tamen unitas est in origine, & fine; Origo est Scriptura sacra, unde debet omnis Prædicatio sumi: finis est honorificatio divina, in huius laude, & salute humana.

In sua celebri visione vidit Isaias Dominum in folio excelsis, & elevato, Seraphim stabant super illum, sex alæ uni, sex alæ alteri, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra gloria eius, & commota sunt superliminaria cardinum, à voce clamantis, c. 6. n. 4. multi erant Seraphim Dei gloriam intonantes, ac celebrantes, qui, ut dicit Pardo, quatuor erant Seraphim, juxta tamen communem sententiam, ad minimum erant duo; cum ergo multi essent, clamantes Dei maiestatem, quomodo dicitur, quod commota sunt superliminaria à voce clamantis per Seraphim. D. Cyrill. Alex. D. Hier. Haymo, & alii intelligunt Prædicatores Evangelicos, quorum voce omnis terra repletur gloria, scilicet notitia, ac cognitione gloriæ Domini, & ita ait D. Hieron. Cum Apostoli salvatorem credentibus aperiant, & infidelibus abscondant. Inde rectè dicitur, commota sunt superliminaria Domus seu, Templi, vel Ecclesiæ, à voce non clamantium, sed clamantis; quia licet Prædicatores multi sunt, eorum tamen vox una est, una doctrina, una origo, scilicet sacra Scriptura, unus finis; id est, Dei gloria.

Cum homo ille Rex magnum præparasset convivium in nuptiis filii sui; & ut ad epulas invitaret convivas: Misit Rex servos suos, & iterum: Misit alios servos. Matth. 22. n. 3. & 4. At in illa parabola de homine ad cenam magnam invitante, unus tantum servus destinatur, ut omnes invitatos convocet: Misit servum suum hora cæna, dicere invitatis, & iterum: Dixit seruo suo; exi cito. Luc. 14. n. 17. & 25. In utraque parabola idem est scopus, tam Rex congregans ad convivium, quàm homo ad cenam magnam, scilicet beatitudinem, convocans. Quomodo ergo modò unus, modò plures servi introducuntur? huiusmodi servi significant Prædicatores Evangelicos, ut c. 2. 1. Matth. docent D. Hieronym. D. Pafch. D. Gregor. ut retuli tom. 4. in Evang. c. 43. expof. 1. n. 4. Ecce cur modo unus servus, modo plures; quia licet præcones Evangelici in se multi sint, & valde diversi, ac dispersi per varias terras, ac regiones; tamen in seipsis ita adunantur, ut sint veluti unus, unitate fidei, doctrinæ, charitatis, ac pacis Syueir, in pocal Apysim. Tom. I.

quam prædicant; & in se debent habere. Vide caput nonum, q. 13. ad finem.

QUESTIO XI.

Quare primo Angelo tuba canente, fit grandio, ignis, & sanguis?

Dupliciter hæc res potest explicari; & Primò Auctores relati superiori quaestione in tertia sententia, ut Ribeira, Cornelius, M. La Haye, hæc reducunt ad tempora Antichristi, dicuntque, quod ob malitiam, nequitiámque hominum, ut sonat secundum litteram, quod pluit de cælo grandio, ignis, & sanguis; dicuntque, in his Angelis alludi ad septem plagas Aegypti; & hic in primo Angelo ad septimam plagam. Exod. 9. num. 24. Grandio, & ignis mista pariter ferebantur; & pluvia ignis, & sanguinis, semper celestis iræ fuit indicium, & instantis vindictæ prænuncium.

Grando, & ignis, non divisim, sed conjunctim: Grando inaudita lapidatione fructus, arborea, folia confringet, & recta veluti crebris malleorum ictibus premet; & si quid in terra grandini resistit, igne comburetur; sed quomodo conjunctim cadent grandio, & ignis; cum habeant contrarias qualitates? & ignis grandine extinguitur, & quod magis est, Syrus pro sanguine legit aquas: facta est grandio, & ignis mixta aqua. Quomodo grandio, & ignis, mixta aquis cadent? quomodo ignis aquis non extinguitur, congregantur tamen in unum, ut pro suo creatore adversus impios delaviant. Sap. 5. n. 18. Armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Favet Procop. ad e. Exod. 9. v. 24. Mirum est, ait, circa unum, idèrque subjectum pugnantes versari substantias, nempe ignem, & grandinem non liquecere ignis virtute, & ignem non extingui frigoris vi, hinc patet, naturam cedere voluntati creatoris.

Et quamvis hæc ut sonant, possint intelligi, & sustineri in his quæ sunt, hoc primo Angelo tuba canente, prout secundum litteram sonant; non tamen in aliis Angelis, ut satis dictum est quaestione superiori, in impugnatione prædictæ tertiæ sententiæ.

Et idèd Auctores relati eadem superiori q. in quarta, & vera sententia, hæc symbolice intelligunt, ut Pannon, Albert Magn, D. Thom, Hugo, Viegas, Ferrarius, quæ sententia rectè explicata, est legitima, & vera. Primo Angelo tuba canente, seu primis præconibus divini verbi prædicantibus, ut pote Apostolis facta est grandio quæ autem juxta Philosophiam, fit ex aqua frigida in nube validè stipata, & corroborata, ob circumstantiam & obfistentiam caloris extrinseci; denotatque, quod frigida Judæorum corda, ex calore fidei, & ardentis Prædicationis Apostolorum, ac virorum, non levem pluviam, ac tempestatem persecutionis fecerunt in terris. Nam Judæi, audita tuba Evangelica, inflammati igne invidia, ac livoris, ut in Actibus Apostolorum legitur; adjunctaque est invidia crudelitas, ac savitia, significata in sanguine; & cum hoc totum missum esset in terram, magna persecutio, contra

101. Ribeira, Cornelius.

Exod. 9.

111. Contraria copulantur, in unum, pro creatore adversus impios.

Procop.

112. Rejicitur prædicta sententia.

113. Vera sententia. Pannon, Albert, Mag, D. Thom, Hugo, Viegas, Ferrarius.

Invidia asocatur crudelitati.